



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

VIII. Sighartus

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

quia *Carolo* magis adhereret, quam *Ludovico*. Moritur AD. DCCCLXIX. Prælatura XIII.

VIII. SIGHARTUS.

VIII. Sig-
hartus.

Professus Fuldensis, Vir devotus: erat cum *Ludovico*, Germaniæ Rege, in expeditione Slavica AD. DCCCLXXII. Multa fecit laudabilia. Anniversariam mortuorum memoriam instituendo, sanctorum Evangeliorum librum gemmao & argenteo involucro inclusit, pontem fecit super fluvium *Fulde*, certo tempore de Monachorum suorum studiis, pietate, habitu, concordia & assiduitate, more Majorum, Pontifici Summo justam & exactam rationem reddidit: Fratribus acquisivit *Bergen & Wasserheim*. AD. DCCCLXXIV. paulò ante Pascha *Ludovicus*, Germaniæ Rex, devotionis causâ *Fuldam* venit, ubi non solum vetera Monasterii privilegia confirmavit & innovavit, sed præterea multa bona eidem attribuit. Cùm in festo Paschæ canentibus orationes & zelum Fratrum attentius notaret, dixisse scribitur super cœna ad Proceres suos: *utinam semper mihi liceret in hoc atrio cœli manere & in eo mori. Quid enim jucundius & fructuosius optari potest?* Cum *Luitperto* Maguntino disconvenientiæ ei erant ob decimas in Doringia, quas valde appetit Maguntinus. Ex cupiditate sanctioris otii sponte renunciavit Abbatia AD. DCCCLXXIV. Prælatura V. & vixit in Monasterio S. *Johannis* Deo & sibi. Paulò post autem moritur. Jacet in Ecclesia Majori.

IX. HUGO.

IX. Hugo.

Apud *Arnolphum* Regem ejusque Filium *Ludovicum* in magna auctoritate erat, ideò facile potuit privilegia nova simulq; veterum confirmationem expetere. Inter rariora sua habet *Fulda* Sanctorum Evangeliorum librum, quem S. *Bonifacius*, Apostolus Germaniæ & primus Maguntinus Archiepiscopus, propriâ manu descripsit, quem Idem *Arnolphus* Rex Monasterio dedit. Multa passus est *Hugo* à furore ethnicorum & Hungarorum. Sed ille Deo & Sanctis suis Patronis confidens, impetum & ferociam eorum heroicè sustinuit, Protector Monasterii sui. S. *Bonifacii* tumbam & altare B. Virginis auro, argento & gemmis pretiosis largiter ornavit. Reliquias de variis Martyribus intulit, iisque altaria struxit: Fratribus quolibet die Dominica religiosas circumitiones cum vexillo S. crucis concessit, & multa alia laudabilia & imitabilia fecit ac perfecit. AD. DCCCCVIII. Hungari totam Germaniam miserè depopulantur, nec in ea *Buchoniam* prætercurrerint. AD. DCCCC., confirmante *Ludovico*, possessiones in *Wetteravia*, in loco *Waltz*, accepit. Et AD. DCCCCXII, à *Conrado* Rege privilegium super decimis & aliis rebus. Videtur ergo mortuus circa AD. DCCCCXIII.

Præ-